



**I**acobus apud Belgas natus, & in omni literarū genere optimè institutus est. Is cum artium primordia didicisset, sese Tornacum, inde ad Louaniensem scholam recepit, atq; linguarū studio magna diligentia incubuit. In ijs quoq; plurimū profecit, atq; in Græcæ linguæ cognitione cunctos alios superauit. Itaq; Erasmo Roterodamo familiaris extitit, atq; sæpius de re literaria cum eo contulit. De eo quoq; Louanij 1521 ad Bernardū Buchonem Phrysiū lib. 17. Epist. sic scriptū reliquit: Agit nunc Louanij Iacobus Ceratinus, uir utriusq; literaturæ pulchrè doctus, moribus probis & integris. præterea lib. 20. ad Georgium Saxoniae ducem anno 1525, cum Basileæ esset, sic scribit: Venit huc meis literis euocatus Iacobus Ceratinus, de quo scripseram, Græcanicæ literaturæ tam erectæ callēs, ut uix unum aut alterum habeat Italia, qui cum dubitem hūc committere, nec in Latinis sui dissimilis est. Adhæc Philosophiæ non ignarus.